

Respice nos clemens, & seva reconde furoris,
 In populum tibi quæ, fulmina, sumpta tuum.
 Psal. 68. v. 3. Surge, statim fugient hostes, ceu fumus in auras
 Diffugit, & flammis cera liquata fluit.
 Ablue commissa scelerata piacula culpæ:
 Ablue, quæ nosti cuncta, videsque Deus!
 Exsuperant lynces cælestia Numina, sensus
 Inspiciunt. Jovam fallere nemo potest.
 Atque creâ mundum, purumque à crimine pectus,
 A nobis fugiat ne pia turma poli.
 Nam veluti niveæ factorem odere columbæ,
 Et fumi lacrimas pura melissa fugit:
 Sic procul absistunt Genii, solosque relinquunt,
 Quorum carnis olet squalida vita luto.
 Da PACEM! liceat templi coluisse beati
 Tecta, sonat verbi vox ubi sancta tui!
 Da Patriæ Pater ELECTOR IAN-GEORGIUS ille
 PACEM Romano reddat ut imperio.
 Nec minus in nostris studiis tua sancta, precamur,
 Dexterâ perficat quod benècepit opus.
 E nostro ut possis aliquando sumere cœtu,
 Qui fiant verbi turba ministra tui.
 Qui doceant Christi de religione minores,
 Quique Scholæ præsent, qui decus artium ament.
 Sit curæ commissa tuæ SCHOLA nostra, fac ut sis
 Eusebies, Sophies Gymnasium illa diu!
 Vota Deus firma! firmabis. nostra Juventus,
 Quo facias, fundet uberiora tibi.
 Res invicta fides. Fiet. Tibi JOVA per ævum
 ALLELUIA puer, vir, mulierque canet.
 Sit, dicam, cunctas à vespere solis ad ortus
 Didita per terras gloria sola tibi!
 Auxilium, dicam, nostrum est à Numine summo,
 Qui nutu quæ vult cunq; potente facit.
 Orta dies, dicam, est, quæ sat sua gaudia nemo,
 Vel gaudere potest, vel numerare potest!

SERIES